


ei, quod à basi BC , datur ergo lōgitudine BC , & ipsa latera inuicē ratione. Sed segmentum circuli quod orthogonum suscipit triangulum, semicirculus est, cuius BC basis dimetiens fuerit. Quibus igitur BC partibus fuerit 200000, dabūtur AB & AC , tanquā subtendentes reliquos angulos BC . Quos idcirco ratio Canonis patefaciet in partibus, quibus $CCCLX$. sunt duobus rectis æquales. Idem eueniet, si BC fuerit datum cum altero rectum angulum compræhendentium, quod iam liquide constare arbitror.


III.

St iam datus, qui sub ABC angulus acutus, datis etiam cōpræshensus lateribus AB & BC , & ex A signo descendat perpendicularis ad BC productam si oportuerit, prout intra uel extra triangulum cadat, quæ sit AD , per quam discernuntur duo orthogonij ABD & ADC , & quoniam in ABD dantur anguli, nam D rectus & B per hypothesis. Dantur ergo AD & BD tanquam subtendentes angulos A & B in partibus, quibus AB est 200000. dimetiens circuli per canonem. Et eadem ratione, qua AB dabatur longitudine, dantur AD & BD similiter, datur etiam CD , qua BC & BD se inuicem excedunt. Igitur & in triangulo rectangulo ADC datis lateribus AD & CD , datur latus quæsitum AC & angulus ACD per præcedentem demonstrationem.



V.

Nec aliter eueniet, si B angulus fuerit obtusus, quoniam ex A signo in BC extensam rectam lineam perpendicularis acta AD , efficit triangulum ABD datorum angulorum. Nam ABD angulus exterior ipsi ABC datur, & D rectus, dantur ergo BD & AD in partibus, quibus AB fuerit 200000. Et quoniam BA & BC rationem habent inuicem datam, datur ergo & AB earundem partium, quibus BD ac tota CB . Idcirco & in triangulo rectangulo ADC , cum data sint duo latera AD & CD , datur etiam AC quæsitū, & angulus BAC cum reliquo ACB , qui quærebatur.



VI.

St iam alterutrum datorum laterum subtendens angulum B datum